

Jakob Christoph Wolff


**Rector Academiae Rostochiensis M. Jacobus Christoph. Wolffius, Gr. Lingv. Prof.  
... Ad Mysterium Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi, haud rimandum, sed  
mirandum, devotaque venerandum mente, In Ipso Nativitatis Festo ... Cives  
Academicos ... invitat ac hortatur**

Rostochii: Typis Joh. Jacob. Adleri, [1735?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004018290>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1735. Weihn.

~~A-1256.~~ 235.

W. 1735

RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
M. JACOBUS CHRISTOPH.  
WOLFFIUS,

GR. LINGV. PROF. PUBL. ORDIN. FACULTATIS  
SUE H. T. DECANUS,



AD

MYSTERIUM INCARNATIONIS

DOMINI NOSTRI  
JESU CHRISTI,

haud rimandum, sed mirandum,  
devotaque venerandum mente,

IN IPSO

NATIVITATIS FESTO

OMNES OMNIUM ORDINUM  
AC DIGNITATUM

CIVES ACADEMICOS

maximo, quo potest, opere  
invitat ac hortatur.

R O S T O C H I I,

Typis JOH. JACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.  
Typogr.

M. 1256 235



N' ista proh! dolor, reservati sumus tempora, *Cives O. O. Honoratissimi*, quæ ingeniorum novaturientium, omniaque, abstrusissima licet ac imperscrutabilia fidei dogmata, vel rationis decempeda emetiri, vel ultra revelationis limites in iisdem sapere gestientium sunt fertilissima. Concedendum equidem omnino est, rerum humanarum divinarumque scientiis tantam præ pristinis temporibus, hoc demum seculo accessisse lucem, ut easdem fermè ad *ἀκμην* pervenisse, non abs re afferendum videatur; verum enim vero & hoc nobis erit dandum, plurimos existere his nostris temporibus homines adedè infrunitos, qui scientiis abusi, nec non DEI verbum fusque deque habentes, in agnoscendis, demonstrandis, comprobandis ipsis fidei mysteriis, rationi hæc in parte licet penitus cæcipienti omnia tribuere, eademque vel corruptæ rationis suasu nimis intra rationis cancellos coarctare, vel fanatici spiritus fastu circumventi ultra revelationis terminos dilatare hæud erubescunt, quorum omnium catalogum accuratè si pertexere vellemus, supervacaneum nimisque prolixum susciperemus laborem, cum Theologi Nostrates hanc ejusmodi nasutulorum impudentiam, nimiamque sentiendi libertatem in scriptis suis elimatis pro merito, atrojam notarunt lapillo, præseni que instituti nostri ratio sinuosam horum enarrationem minimè permittere videtur. Hodie igitur,  
cum

cum ratione officii Rectoralis, Vos, *Cives Optimi*, ad festum Natalitium Domini Nostri JESU CHRISTI pia ac devota mente celebrandum, discursu quodam academico hortari teneat, res mihi tantummodo erit cum iis, qui, quemadmodum mysteria rationi imperceptibilia S. litteris revelata esse, in genere negant pernegantque, ita & in specie de mysterio incarnationis Domini nostri J. C. idem statuendum esse asserunt, illamque ex solo rationis lumine, methodo ipsis plus fatis adamata mathematica ad oculos demonstrari posse statuunt. In horum autem censum, si quis alius, certè quoque mihi venire videtur autor ille Anonymus *Tractatus Philosophici*, haud ita pridem Leovardiae, ut r. tulus, sed falsò, præ se fert, editi, in quo pluralitas personarum in Deitate, quæ omnes conditiones, ex solis rationis principiis, methodo mathematicorum demonstrata. (\*) Nam, ut de aliis erroribus quam plurimis in libro hocce aridissimo passim occurrentibus jam nihil afferam, in præfatione ipsius duriora hæc leguntur verba: *Bono igitur cum jure distinguendum est inter mysterium absolutum & relativum; mysterium autem relativum voco, quod Cajo vel Titio est mysterium, & absolutum, quod omnibus & in se est mysterium. Hac adjecta distinctione profero questionem: an dentur mysteria? quod ad mysteria relativa pertinet, concedo, & etiam atque etiam ea concedo, hoc enim quotidiana docet experientia; quod autem ad mysteria absoluta, tunc nego atque pernego, talia dari, nec in philosophicis nec in theologicis. Et licet in theologicis hoc unicum excipi sibi videatur, scilicet incarnationem Christi, tamen nec eandem ex toto, sed ex parte tantum mysteriorum numero accensendam esse autumat. Sententia profectò in mysterii hujus sublimitatem maximè injuria. Quamvis enim largiendum omninò est, mysteria omnia non esse æquali gradu talia, dantur enim quoque ejusmodi mysteria, de quibus, uti B.*

( 2

Würffe-

(\*) *Tractatus hujus publicam venditionem ex justissimo pro adstruenda DEI gloria zelo S. Rev. Dnn. Theologi Jenenses interdixerunt non solum, sed & litteris ad S. Rev. FCtatem nostram Theol. datis, ut idem in hunc librum heic quoque loci justissime statuerent, petierunt, cujus quoque petiti Nostrates Theologi eò libentius ipsis fecerunt copiam, quo magis iisdem curæ cordique semper est, ut omnia scandala ex vera Christi ecclesia removeantur, puraque fidei ac morum doctrina conservetur facta atque tecta, tractatumque hunc non modo in universa nostra regione, sed & urbe ac Academia confiscari, sit venia verbo, curarunt.*

*Wurfelius, Theologus Gryphiswald. in progr. festiuali nat. Anno 1713.* 163  
quitur, mens humana, quanquam non ex se & ratione, seu princi-  
pio cognoscendi, sed quatenus per scripturas illuminata est, & in-  
star instrumenti sese habet, ratiocinium instituere potest, normante  
tamen scriptura, non ratione, hucque juxta eundem, officium Chri-  
sti Mediatorium pertinet. Dantur quoque mysteria mixta, sive quæ  
præter mysteria ea quoque habent connexa, quæ abstractivè & in se  
considerata merè naturalia sunt, & rationis judicio non superiora,  
quibus annumerat *B. Wurffelius* conceptionem & nativitatem Christi  
simul sumtam, circa quam nimirum merè naturalia & supernatura-  
lia concurrunt. Certo tamen certius est, dari quoque mysteria, cir-  
ca quæ rationi nullum omnino relictum est negotium, quæque ra-  
tione, scripturæ licet illuminata luce, intelligi vel comprehendere ne-  
queunt, sed ob Solam revelantis auctoritatem absque ullo ratiocinio  
simplici credenda sunt fide. Hisque annumeranda merito est In-  
carnatio Filii DEI, seu quod idem est, Naturæ & Hypostaseos div.  
quæque eam sequitur, idiomatum naturæ humanæ facta communi-  
catio, exque ea profluens perpetua indissolubilisque naturarum &  
propriorum DEI & hominis communio. Quod enim is, qui est  
DEUS super omnia benedictus in secula, non rapinæ habuerit suam  
cum DEO æqualitatem, sed seipsum eò usque ad nihilum redegerit,  
ut sumta servili forma, factus sit hominum similis, & habitu re-  
pertus ut homo, ad Philipp. II. quod secunda Deitatis persona uni-  
us ejusdemque numero essentia cum Patre & Spiritu S quemadmo-  
dum pueri carnem & sanguinem habent, iisdem similiter participaverit.  
Ebr. II. quodque verbum DEI *ὄρος ἀσινδὺν* caro factum sit, Joh. I.  
& divina ac humana natura jam in unâ Christi persona ita sint uni-  
tæ, ut nullo tempore amplius ab invicem separari queant, imò quod  
*λόγος* cum sua divina natura majestatem suam, gloriam & excel-  
lentiam humanitati hypostatice sibi unitæ ob hanc ipsam unionem  
hypostaticam verè & realiter, absque ulla naturarum & proprie-  
tatum commixtione aut confusione, ad communem possessio-  
nem, usurpationem & denominationem communicaverit, ita ut  
jam in CHRISTO tota Deitatis plenitudo habitet corporaliter  
ad Coloss. II. 9. Hoc profecto est mysterium omnem prorsus huma-  
næ rationis captum transcendens, nullum enim ipsi suppetit ar-  
gumentum, quo modum unionis hujus hyperphysicum demonstrare  
possit. Idem quoque obtinet, quando consideramus, Christum ex  
solâ

solâ matre sine congressu maris fuisse natum, ita ut, quemadmo-  
 dum secundum div. naturam in cœlis est ἀμήτωρ, & in terra se-  
 cundum humanam naturam sit ἀνώδτωρ, hoc enim miraculum ratio-  
 ni nostræ non tantum planè est incognitum, sed & eam obstupefa-  
 ctam tenet. Licet enim famosus ille Medicus Anglus *Bernardus-  
 Connor in Evangelio Medici*, seu *Medicina mystica* nihil singulare hæc  
 in re admittere velit; inter alia hunc in modum artic. XI. in fine lo-  
 quens: *si quis secum rem ritè totam perpenderet, videbit forsân, quod  
 non magis stupendum est, quod homo ex solâ muliere generetur sine viri  
 commercio, quam quod ex maris & femina congressu formetur;  
 cum concursus viri sit tantum occasio, cur ipse supremus rerum  
 omnium parens generet, qui est immediata; imò unica utriusque pha-  
 nomeni, & effectuum omnium causa*; Assertum tamen hoc omni-  
 um periculossimum esse suo jam tempore ostendit *B. Fierischius in  
 diss. theol. de æterna & temporali generatione Messie*, imò absurdissim-  
 um ac veritati divinitus revelatæ contrarium est. In S. enim litte-  
 ris hæc Christi nativitas maximè stupendum dicitur miraculum,  
 quod colligitur ex eo, quod DEus signum Regi Achaso offerens ac  
 tradens, hanc ipsi omnique populo Judaico prædicit *Es. VII. 14. ecce  
 virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*; eo  
 ipso enim innuitur, nihil magis miraculosum hoc ipso facile exstare,  
 hinc & maximè stupendi miraculi instar esse habendum, cui quoque  
 morem gesserunt fideles *V. Tri* nativitatem hanc miraculosam depræ-  
 dicantes *Jer. XXXI. 22. Creavit Dominus novum, i. e. inauditum, su-  
 per terram, femina circumdabit virum*. Imò ipsa Domini nostri *J. C.*  
*Mater virgo Maria*, in annunciatione Angeli: *Scito, te utero conce-  
 pturam parituramque filium, quem Jesum nomine vocabis*, plane obstu-  
 puit, attonitaque angelo respondit: *quo pacto fiet istud? cum ego vi-  
 rum nesciam*; & angelus ipse idem asserit respondendo: *Spiritus S.  
 te invadet, & Supremi vis inumbrabit, itaque sanctus iste partus dicetur  
 DEI Filius*. *Luc. I. 34. 35. 36* Ex quibus omnibus facilè consequi-  
 tur, eos hanc Christi nativitatem, tanquam supra captum suum po-  
 sitam admiratos fuisse, nec immeritò, hæc enim extraordinaria cum  
 ordinaria hominum generatione, quæ vi benedictionis div. ex con-  
 gressu maris ac feminae fieri solet, comparari nullo modo potest,  
 nec istiusmodi quid unquam fuit factum, quousque mundus sterit,  
 nec amplius futurum erit. Cum igitur omni tempore ab omnibus

pro maximè stupendo habita fuerit miraculo hæc Christi natiuitas, absonum plane est, si quis maiorem sibi tribuere auderet hujus rei notitiam, quam quidem ipsa Christi mater, angelus, cæterique Spiritus S. gratia repleti homines quam plurimi habuerunt, præsertim cum nec ratio Connorii adjecta id sufficienter evincere valeat, quod natiuitas ex sola matre facta non magis stupenda sit, quam si quis ex maris & fœminæ congressu forinetur. Præter omnem enim asseritur veritatis speciem, concursum viri tantùm esse occasionem, cur DEus generet, siquidem hoc ipsum non solum contrariatur benedictioni diuinæ Gen. I. 20. sed & omnibus istis scripturæ dictis, in quibus inexistencia Sobolis in viro adstruitur, v. g. Psal CXXXII. II. Gen XXXV. II. quod dici neutiquam potuisset, si concursus viri ad procreationem sobolis occasionaliter tantum sese haberet. Stupendum igitur miraculum & nobis dicitur, quod Christus ex sola matre verus homo fuerit natus, uti nec ratione nostra percipi posse liberè profitemur, quod virgo. etiamsi puerum ex sola Altissimi obumbratione in utero conceperit, per integros novem menses in eodem gestauerit, & tandem justo tempore feliciter enixa sit, adeoque mater Θεανθρώπων existerit, his non obstantibus permanferit virgo casta, pura, aque viro intacta. Omnia hæc rationi nostræ aded sunt imperceptibilia, ut quamvis omnes intendamus animi vires, eadem perscrutari penitus impossibile sit; Nec mirum hoc, in ipso enim S. Codice *manifeste magnum nominatur pietatis mysterium, quod Deus manifestatus in carne* juxta I. ad Timoth. III. 16. in quæ verba Isidorus Pelusiota Epist. CXCII. optimè commentatus est, *Magnum, inquit, pietatis Sacramentum est, non quod omnino incognitum sit, sed quod à nemine comprehendì queat. Omnem quippe & sermonis & mentis vim excedit. Nam si puerulus matrimonii fructus est, quonam pacto virgo matrimonii fructum edidit? quonam pacto id, quod interitui obnoxium est, cum eo, quod interitum nescit, copulatum est? quonam pacto in eo, quod circumscriptum est, id, quod à circumscriptiōne alienum est, intelligitur, sic inquam, ut nec diuina, & labis omnis expert natura decrementi quicquam patiat, & quod mortale est, modo quodam, qui nullis verbis exprimi potest, omnemque interpretationis vim superat, honorem accipiat? Idem quoque Apostolus Paulus in Ep. ad Coloss. I. 26 τὸ μυστηριον τὸ ἀποκρυφθένον nominat, licet enim sint interpretum nonnulli, qui verba hæc de prædicatione evangelii explican.*

plicanda esse judicent, quibus nec contrariari audeo, hoc tamen certo certius est, quod, cum Christus totius evangelii anima sit & nucleus, ita ut evangelium absque Christo penitus non detur, quique Christum in evangelio prædicaturus est, omnino quoque uti passionis & officii sui mediatorii, ita & incarnationis conceptionis ac nativitatis ejus mentionem facere oporteat, Paulus eo ipso digitum simul in hanc Christi incarnationem intenderit, mysteriumque rationi humanæ absconditum appellaverit, imò tale mysterium, in quod ipsi angeli introspicere desiderarunt, uti D. Petrus loquitur 1. Epist. c. I. respectu procul dubio habito ad arcam fœderis, ejus operculo insidebant sive insistebant duo angeli, adversis faciebus in ipsam arcam intuentes. Quemadmodum enim in arca hæc typus erat Christi, in quo absconditi sunt omnes sapientiæ & scientiæ thesauri, ita quoque angeli hoc ipso suo intuitu innuere voluerunt desiderium suum magnum, quo ad introspicendum atque penitus cognoscendum maximum hoc mysterium flagrabant. Quæ cum ita sint, imprudentissimè profectò ageret, qui hac in re supra vel præter scripturam sapere, & licet ipsi angeli cæterique sancti DEI homines mysterium hoc ratione nequaquam indagandum duxerint, idem rimari, infirmisque suis ratiociniis ex solo rationis lumine petitis probare atque demonstrare auderet. Rectius imitanda sunt exempla Patrum primitivæ ecclesiæ, quibus incarnatio Salvatoris nostri J. C. itidem mysterii nomine venit; ita ut ex plurimis unicum tantum adducam, Dionysius Areopagita c. IV. de celesti hierarchia Sect. IV. eam vocat τῆς ἰησοῦ φιλανθρωπίας μυσῆριον, Christi que in utero formationem θεουργικὸν τῆς ἀφθεικτῆς θεοπλαστίας μυσῆριον. Ne igitur, Cives Academici Leclivissimi! mysterium hoc rimemini! audivistis enim ex hæcenus adductis, illud esse ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πάντα κατάληψιν. Devota potius mente idem admiremini; & cum in his diebus festis omnia nativitatem dulcissimi nostri Salvatoris loquuntur & personant, ipseque angelus præco hodierno die universo terrarum orbi suum: ecce, annuncio vobis magnum gaudium, quod futurum est omni populo, quia natus est vobis hodie Servator, qui est Christus Dominus in Civitate David; iterum ebuccinat, arrigite aures, adeste animis, introspicite oculis fidei in maximum illud pietatis mysterium hodiè manifestatum, quod usus nescivit, quod ratio ignoravit, quod mens humana capere nequit, hodiè factitatum cernetis. In unâ scilicet persona sibi invicem

invicem uniuntur DEus & limus, majestas & infirmitas, vilitas & sublimitas. Virgo concepit, virgo gravida, virgo peperit, & tamen virgo perpetua; qui ab aeterno filius sine matre, nunc nascitur filius sine patre, ibi sine initio, hic sine exemplo, ibi Patri, hic hominibus. Prior nativitas erat ante hominem, hæc supra hominem ibi, qui erat, natus est, hic, qui non erat factus est, ibi sine conceptione natus est DEus, heic sine generante factus est homo. Attendite igitur & demirabimini DEum in utero, puerum in virgine, omnipotentem in cunabulis, DEum, qui fit homo, & hominem, qui fit DEus. Advertite, quæso, hic agnoscitur, ut Bernhardus ait: *Longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana*, hic conspicitur *lux non lucens. verbum infans, aqua sciens, panis esuriens, hic potentia ipsa regitur, sapientia instruitur, virtus ipsa sustentatur*, hic videtis *DEum lætentem, sed angelos reficientem, DEum vagientem, sed miseros consolantem*, hic *tristatur letitia, pavet fiducia, salus patitur, & vita moritur*. Hic *adest tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, infirmitas roborans, & mors vivificans*. Nobis infans hicce natus, nobis datus est, totus mihi, totus tibi natus, totus in usus nostros est expensus. Verum, quid juvabit hæc ipsa curiosis rimari & perlustrare mentis obtutibus, si nulla exinde in nos derivetur utilitas; quid juvabit, parvulum hunc nobis natum, filium hunc nobis datum esse, si magni per parvulum fieri recusamus, si filiatione dignos reddi non studemus? quid juvabit, Salvatorem nostrum adventare, nisi dignis adventantem excipiamus modis. Vos, igitur, O mei! dum nascitur vobis JESUS, limina cordis pandite, claustra revellite, ut intret Rex magnus gloriæ. Is qui habitat in cælis, venit ad terras, ut terrarum incolas evocaret ad cælum, nascitur secundum carnem, ut nos nasceremur spiritu, nascitur è muliere, ut nos desineremus esse filii mulieris. Hisce igitur animis, hisce desideriis ac votis obviam procedite Regi vestro, lærissimasque inter dulcisoni illius Hosanna acclamationes, in cordis penetralia Regem vestrum nunquam ejicendum intromittite, cumque Angelis occinite:


*Gloria in excessis DEO!*

P. P. Sub Sigillo Rectorali,

Fer. I. Nativ. A. MDCCXXXV.







plicanda esse judicent, quibus nec contrariari audeo, certius est, quod, cum Christus totius evangelii anima, ita ut evangelium absque Christo penitus non detur, quod in evangelio prædicaturus est, omnino quoque uti passio mediatorii, ita & incarnationis conceptionis ac natiuitatis facere oporteat, Paulus eo ipso digitum simul incarnationem intenderit, mysteriumque rationi humana appellaverit, imò tale mysterium, in quod ipsi angeli desiderarunt, uti D. Petrus loquitur 1. Epist. c. I. resp. bio habito ad arcam fœderis, cuius operculo insidebant duo angeli, aduersis faciebus in ipsam arcam int. admodum enim arca hæc typus erat Christi, in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri, ita quoque angeli intuitu innuere voluerunt desiderium suum magnum spiciendum atque penitus cognoscendum maximum flagrabant. Quæ cum ita sint, imprudentissimè profectus hac in re supra vel præter scripturam sapere, & licet terique sancti DEI homines mysterium hoc ratione negandum duxerint, idem rimari, infirmisque suis rationis lumine petitis probare atque demonstrare auctimitanda sunt exempla Patrum primitiua ecclesiæ, qui Salvatoris nostri J. C. itidem mysterii nomine veniunt; rimis unicum tantum adducam, Dionysius Areopagita læsti hierarchia Sect. IV. eam vocat τῆς Ἰησοῦ Φιλανθοριον, Christi que in utero formationem Θεοαρχικὸν τῆς Θεοπλαστίας μυστήριον. Ne igitur, Cives Academici mysterium hoc rimemini! audivistis enim ex hætenus a esse ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πάντα κατάλογον, potius mente idem admiremini; & cum in his omnibus nativitatem dulcissimi nostri Salvatoris loquuntur ipseque angelus præco hodierno die universo terrarum ecce, annuncio vobis magnum gaudium, quod futurum est, quia natus est vobis hodie Servator, qui est Christus Dominus David; iterum ebuccinat, arrigite aures, adeste animis oculis fidei in maximum illud pietatis mysterium hodiè quod usus nescivit, quod ratio ignoravit, quod merere nequit, hodiè factitatum cernetis. In unâ scilicet

